

48. Igitur clericus accusans coram Iudice seculari debet protestari se non vindictam, sed satisfactionem damni intendere; alias fit irregularis, esto ex oblivione omittat protestationem. Si autem illam præmittat, potest sine scrupulo petere sibi, suis consanguineis, aut suæ Ecclesie damna satisfieri. Eodem modo potest consulere laicis accusationem, ac simul protestationem; hac enim præmissa, nec laici, sic accusantes pro damni reparatione, fiunt irregulares; quod jure merito sancitum est, ut furtis, & rapinis via occludatur. Possunt etiam clerici eodem modo accusare de injuriis inferendis, si alia via nequeant evadi. Secus de injuriis personis illatis, fierent enim irregulares, si mors, aut mutilatio sequeretur. Nam hæc irregularitas indicata est, ut arceantur ab altari ministri, qui in mansuetudine non representant Agnum immaculatum, qui proprium, non alienum sanguinem pro omnibus fudit. *In cap. Sententiam. Ne clerici, vel monachi, & alibi.*

49. Inq. 3. An confessarius consultus a Iudice de reo digno mortis, respondens debere occidi, fiat irregularis? R. neg. Quia Confessarius non concurrat, ut minister justitiæ, vel autoritate judiciali, sed ut consulens salutem penitentis. Omnes ajunt, quod Confessarius potest, & debet hortari Iudicem, ut observet leges præscribentes reis poenam capitis; imò debere negare absolutionem volenti suspendere reum mortis. Putant tamen plures non posse Confessarium hortari Iudicem, ut huic reo sententiam mortis applicet. Igitur Confessarius, & quilibet alius clericus, de tali casu consultus, respondeat in generali reos hujusmodi criminis dignos esse mortis, aut juxta leges debere puniri: tamen licet dicat in particulari hunc homicidam esse dignum mortis, vel debere puniri, non fit irregularis ex indicata ratione, nempe quia, ut minister justitiæ, non concurrat.

50. Eadem ratione non fiunt irregulares clamans, aut indicans adesse latrones, faberignarius furcam, aut scalam faciens, nec alii funes, gladium, aut alia instrumenta conficientes, quia non concurrunt

proxime, ut ministri Justitiæ. Testes vero fiunt, si necessarii sint ad causæ probationem; secus si ad eam jam non sint necessarii, nec si cogantur testificari. Nec tenent paritas Judicis, qui cogitur reum punire, & tamen fit irregularis, quia Juxta voluntarie munus admisit, quod non accidit in teste coacto. Idem est cum portione de advocato contra reum.

51. Inq. 4. Qui fiunt irregulares ex defectu lenitatis in bello justo? R. Solum fieri illos, qui propriis manibus occidunt, aut mutilant: cæteri, esto clerici, aut religiosi sint, consulentes, vel animantes, milites, ut strenue agant in pugna, minime fiunt irregulares. Hinc apparet diversitas magna inter bellum injustum, & justum, quod in illo licet unus tantum occidat hominem, omnes manent irregulares; in isto autem solum fit irregularis, ille qui occidit. Imò si occidat in sui, vel Patriæ defensionem cum moderamine inculpate tutelæ, non fit irregularis, esto sic occidens clericus sit, quia defensio justa est de jure naturali. Unde necessitate defendendi se, aut patriam, possunt etiam clerici, aut religiosi sumere arma, & pugnare præsertim adversus hæreticos, infideles. *Ex cap. Si furiosus. Et ex cap. Interfecisti. De homicid.*

52. Inq. 5. An occidens furem ob defensionem bonorum fiat irregularis? R. 1. Certum est irregularem fieri, si bona sine parvi momenti, & valoris v. g. unius aurei, ut constat ex propositione 31. damnata ab Innoc. X. Ex ea enim patet graviter peccare, & consequenter irregularem fieri illum, qui occidit furem invasorem talium bonorum, quæ parvi momenti reputantur.

53. R. 2. Probabilius est fieri irregularem eum etiam, qui occidit furem ob defensionem bonorum magni momenti, quia, ut diximus tract. 16. vita est supra omnia bona temporalia, & ordinis superioris ad cætera, ergo injuste eripitur pro defensione eorum. Eadem ratione incurrit irregularitatem, qui occidit invasorem pudicitie, famæ, aut honoris, quia hæc omnia sunt inferioris ordinis respectu vitæ. Solum igitur eximitur ab incurrenda irregularitate ex defectu lenitatis, & etiam ex homicidio, qui cum moderamine inculpate tutelæ occidit invasorem vitæ, quam

quam aliter nequit defendere.

54. Inq. 5. An milites præstantes in bello justo volentes postea ad ordines promoveri, indigeant dispensatione, si aulicis propriis manibus occiderint? R. negat. Ita Bened. XIV. Inst. for. ubi ait: "Laicos, aut initiatos in Minoribus non fieri irregulares ex eo præcisè, quod arma sumpserint; nec præstantes in bello justo, si certi sint neminem propriis manibus occidisse; imò esto occidat etiam Sacerdotio fungens pro defensione patriæ vitæ, ut accidit cuidam Capuccino, qui in navi aggressus occidit septem turcas, & postquam subinde dispensationem a Pio V. respondit ei Pontifex, ea non indigere." Advertit ibidem, dispensationes, quæ petuntur, sæpe ad cautelam concedi a Pœnitentiaria, & Dataria, non quia judicatur necessaria, sed pro quiete conscientie. Tamen indigent dispensatione ad sacros ordines, & beneficia cum cura illegitimi, licet illegitimitas sit penitus occulta: quo in casu ad Pœnitentiariam est recurrendum. Exprimi autem debet, an illegitimus sit ex laico, cleri-

co, aut Sacerdote, tum quia gravius crimen difficilius dispensatur; tum quia aliquando duplici opus est dispensatione: ut si illegitimus vult habere beneficium in Ecclesia, ubi pater eius illud habet, vel habuit, vel ipsum beneficium relictum a patre obtinere cupit; quæ omnia pro dispensatione sunt omnino exprimenda. Vid. trid. Sess. 25. cap. 15. de reform.

55. Inq. 5. An irregularitas ex defectu lenitatis, aut quolibet alia incurrat ante sententiam Judicis? R. affirm. Quia cum nulla sit irregularitas, nisi expressa in jure, eo ipso quod in jure sit expressa, deservit pro sententia, quia alia requiratur.

56. Inq. 6. Sub qua formâ debeat dari dispensatio ab irregularitate? R. Forma dispensandi reperitur in rituali rom. præscripta sic: *Dispensatio tecum super irregularitate, quam incurristi ob talem causam, & habilem reddo; & restituo te executioni ordinum; & officiorum tuorum. In nomine Patris; & filii; & Spiritus sancti.*

TRACTATUS TRIGESIMUS OCTAVUS

DE STATU RELIGIOSO.

Cum Religio sit virtus, per quam homo in obsequium Dei aliquid exhibet, merito nuncupatur *status religiosus* ille, in quo ejus professores omnibus, quæ mundi sunt renuntiantes, Dei obsequio in perpetuum mancipantur. De hoc igitur statu breviter disserendum nobis est præsentis tractatu. Prius autem de voto illum assumendi.

CAPUT I.

De statu religioso in communi.

PUNCTUM I.

De voto religionis.

1. Inq. 1. Quid sit votum religionis? R. Est deliberata promissio Deo facta ingrediendi religionem. Hujusmodi votum

esse bonum, ac laudabile solum hæretici negare audent; ingressus quippe religionis maxime Deo placet; sic enim perpetuo homo Deo mancipatur, offerendo de seipso perfectissimum holocaustum. Si autem in particulari non expediat aliquando emitte tale votum, pendet ex circumstantiis volentis; sed aliud est votum esse laudabile, aliud vero aliquando in particulari non expedire, ut conjugato, servo, aut alteri periculati circumstantia impedito.

2. Aliud est votum ingrediendi religionem, aliud perseverandi, & aliud in ea moriendi. Votum ingrediendi obligat ad ingressum juxta formam juris, hoc est, ut quis experiatur, an sibi conveniat ille status, & possit absque magna difficultate illum portare. Unde si recta intentione ingrediatur, & ex justa causa recedat, non tenetur amplius voto. Votum vero per-

severandi ad plus obligat: nempe ad non recedendum sine gravissima causa. Unde tenetur non solum ingredi, sed & profiteri quantum in se est. Imo si vovit religionem in genere, esto ab una ejiciatur, debet aliam, & aliam querere, nisi absolute sit ad omnes ineptus. Votum moriendi in religione, licet non obliget ad ingrediendum quamprimum: obligat tamen ad non nimis differendum ingressum, & perseverandum in religione usque ad mortem.

3. Voveas religionem in genere non satisfaci voto, ingrediendo religionem Calatrave, Alcantaræ, aut S. Jacobi, quia non sunt proprie religiones cum voto castitatis absoluto. Idem est de religione S. Joannis, quia licet hæc sit proprie religio cum castitate absoluta; tamen vovens religionem, intelligitur, quæ vitam arctiorem, cœnobiticam, ac separatam a fastu, & strepitu armorum profiteatur. Neque vovens religionem strictiorem satisfacit amplectendo laxiorem, quia minus præstat, quam promissit. Verum qui jam professus est in religione mitiori, non tenetur transire ad strictiorem; quam promissit; quia votum solemne fortius est simpliciter, & hoc ab illo dissolvitur. Voto religionis adstrictus non satisfacit admittendo Episcopatum, ut constat ex *cap. Per tuas 10. de vot.* Ubi præcipitur cuidam Episcopo resignare Episcopatum, & reddere Altissimo vota religionis, ut ait D. Thom. 2. 2. q. 189. a. 3. ad 1.

4. Inq. 2. Ad quid teneatur voto religionis adstrictus? R. Teneri ad ingressum adhibendo omnem diligentiam, quæ pro negotio gravi prudenter solet apponi. Si religionem non determinavit, adire debet tot religiones, aut monasteria sibi cognita, ut ab eis repulsus, non sit spes moralis, ut alicubi recipiatur saltem in sua regione; non tamen adstringitur ad alias religiones sibi ignotas, aut regiones longinquas transmeare, quia ad id non præsumitur voto se obligasse. Si religionem, aut monasterium assignavit, tenetur facere quantum in se est, ut in ea, vel in eo recipiatur, votum etiam patefaciendi Superiori, si id iudicet necessarium, ut admitatur. Nam licet voti manifestatio non sit per se necessaria; tamen cum non afferat specifice incommodum, debet illud declarare, si ad sui admissionem agnoscat ex-

pedire; alias non facit quantum in se est, ut admittatur, omittens ex professo medium adeo facile ad ingressum assequendum. Prælati vero ratione voti candidati non tenetur eum admittere, quia votum non ligat Prælatum; unde ex justa causa potest repellere illum, ac si nullo voto esset obstrictus.

5. Inq. 3. An, si habens votum ingrediendi hanc religionem, vel hoc monasterium, repellatur, adhuc teneatur ingredi, si postea invitetur? R. Sub distinctione, vel enim repellitur *absolute, & simpliciter*; vel non. In primo casu non amplius tenetur voto; tum quia votum fit sub illa conditione tacita, *si non repellatur*; tum quia alias vovens semper esset anceps toto tempore vitæ. In secundo casu adhuc tenetur voto, ut si solum ad tempus, vel ob aliquod actuale impedimentum repellatur: tenetur enim expectare tempus opportunum ad ingressum, nisi nimis differatur, ac eodem modo ad impedimenti remotionem. Similiter expectare debet consensus prælati, volentis mature deliberare admissionem, si dilatio prudens, & moderata quærat ad deliberationem. Utinam omnes Prælati matura circumspectione circa novitiorum admissionem procederent!

6. Inq. 4. An, vovens religionem pro statu clericali, liberetur voto, si solum, ut laicus velit admitti? R. affirm. Quia votum non ligat, nisi juxta intentionem voventis. At si votum emisit nihil cogitans de statu clericali, aut laicali, & utrique aptus sit, debet amplectere illum, quem religio ipsi præscripserit. Qui expresse vovit gradum sacerdotalem, potest fieri laicus, & contra ex consensu Superiorum; hæc quippe mutatio accidentalis est intra eandem religionem. Quando urget, aut quibus modis cesset obligatio voti religionis, & alia huc spectantia constant ex dictis tract. de voto.

PUNCTUM II.

Notio status religiosi.

7. Inq. 1. Quid sit status Religiosus? R. Est *via aptius perveniendi ad perfectionem evangelicam per tria vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis.* Sacer hic status di-

ci-

citur *religiosus* a virtute religionis, cujus proprium est famulatum, & obsequium Deo præstare: unde congregationes ad hunc finem institutæ appellantur *religiones*. Quilibet autem religio est quedam via ad perfectionem acquirendam per tria vota, propriam regulam, & constitutiones. Ideo est *status*, quia per tria vota stabilitur, & firmatur. Est etiam via aptior ad perfectionem evangelicam acquirendam, removeodo perfectionis impedimenta, uti sunt voluntas propria, quæ jugulatur per obedientiam, appetitus carnis, qui cohibetur per castitatem, & cupiditas divitiarum, quæ amputatur per paupertatem.

8. Inq. 2. Quot conditiones requirantur ad constituendum statum religiosum? R. Duas necessario requiri. *Prima* est emissio trium votorum obedientiæ, castitatis, & paupertatis sub certa regula ab Ecclesia approbata. *Secunda*, quod per hæc vota constituatur vovens sub potestate dominativa Prælati, seu religionis cum acceptatione religionis, seu Prælati. Aliæ conditiones, si quæ sint, sub hac duplici comprehenduntur. Emissa enim professione trium votorum sub regula ab Ecclesia approbata in manibus Prælati illam nomine religionis acceptantis, nihil essenziale deficit statui religioso. Ex quo fit in præsentî disciplina, ut quis sit vere religiosus, debet saltem ad tempus vitam cœnobiticam profiteri, & quod solitarii perpetui, seu anachorite non sunt proprie religiosi, quia status solitarius, jam est ab Ecclesia sublatus. Antiqui autem solitarii, ut Paulus, & alii fuerunt eminenter religiosi in præparatione animi ad obediendum, & suppiendo per abundantiam gratiæ, quidquid in statu formali religioso possent acquirere de perfectione.

9. Inq. 3. An solemnitas votorum sit de essentiali status religiosi? R. neg. Quia potest dari vera religio absque tali solemnitate, ut constat ex constitut. Gregor. XIII. *Ascendente Domino.* Tempore D. Thom. non erat talis religio, ideoque dicit 2. 2. q. 199. ar. 2. ad 1. Quod votum simplex non constituit monachum, quia pro illo tempore non agnoscebatur verus religiosus cum voto simplici, nec cum dominio in particulari; postea vero declaravit op-

Tom. II.

positum ille Pontifex.

10. Inq. 4. In quo consistat solemnitas votorum? R. Consistere in eo, quod conjuncta ordini sacro, aut religioni, constituatur status ex se firmus, & irrevocabile, ita ut sacris initiatus, vel religiosus irrevocabiliter tradatur Ecclesie, aut religioni. Hæc autem solemnitas ex Ecclesie institutione inducta est, ut patet ex laudata constitutione apostolica. Ex quo tamen non inferitur votum solemne in professione emissum solum ex jure ecclesiastico dirimere matrimonium subsequens, aut antecedens ratum. Hoc enim habet ex sua natura, sicut consecratio calicis v. g. introducta est ab Ecclesia, & tamen calice semel consecrato, ex natura rei debetur reverentia talis, ut nequeat converti in usus prophanos, durante consecratione. Unde nec Pontifex valet dispensare cum religioso, quamdiu tali, ut matrimonium contrahat, quia jure naturali, & divino religiosus, quamdiu talis, est Deus, & religioni per professionem solemnem totaliter traditus, & mancipatus.

11. Inq. 5. An possit Pontifex religiosum a suo statu eximere, seu secularizare? R. Posse ex gravissima causa; ut si conducatur ad pacem, & ab bonum patriæ, regni, aut provincie, quod monachus contrahat matrimonium, dispensare valet etiam in voto solemni castitatis, uti fecisse Pontifices variis exemplis affirmant plures. Nec officit in oppositum autoritas D. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 11. Ibi enim loquitur attenda decretali Innoc. III. quæ tunc fortius vigeat, vel intelligitur de religioso, manente ut tali. His tamen temporibus non adeo viget; unde, ut probabilior, communiter prævalet sententia affirmativa. Quod autem possit Pontifex religiosum secularizare, manentem sub obligatione voti castitatis, quotidiana experientia satis, superque docet. Cum, non sine animi dolore conspexerimus tot religiosos jugum observantiæ regularis excutere. An autem causæ, quas pro sua exemptione depromebant, essent veræ, legitimæ, & sufficientes, ipsi viderint: aliter enim nihil eis proficiet dispensatio, quam vereor ne sæpe subreptitia sit. In voto obedientiæ non totaliter dispensat Papa, licet eximat religiosum ab obedientia Prælati

Ff

ti

servantiam præceptorum, & consiliorum; tamen solum Episcopi, & religiosi dicuntur esse in statu perfectionis: quia status est firmus, & ex se perpetuus; & ut sic quantum ad perfectionem externam, seu quoad Ecclesiam solum competit Episcopis, & religiosis. In ipso autem statu perfectionis distinguuntur tres gradus, nempe *incipientium*, *proficientium*, & *perfectorum*: quibus triplex respondet via: *Purgativa*, *illuminativa*, & *unitiva*. *Purgativa* est propria *incipientium*, qui purgant animam a vitis, & peccatis præteritis dolore, lachrymis, poenitentia, & mortificatione. *Illuminativa*, est via *proficientium*, qui anima purgata satagunt evellere passiones, & acquirere virtutes, eundo semper de virtute in virtute. *Unitiva* est *perfectorum*, qui superatis cupiditatibus cordis, & sedatis sevis passionum fluctibus, perfruuntur divina unione, & fere continuo vacant Deo, quia jam factus est in pace locus eorum, & habitatio eorum in Sion. Hic est status Episcoporum, quorum ministerium potius est ad alios, quam se ipsos perficiendos. Væ autem illis, qui ambiunt ministerium perfectorum, quin habeant virtutes perfectorum! Religiosi non tenentur esse perfecti sicut Episcopi, sed amare, sectari, & tendere ad perfectionem. Sicut Pythagoras ajebat se non esse Sopherum, sed Philosophum, hoc est, non esse sapientem, sed amatorem sapientiæ.

22. Inq. 2. An religiosi teneantur sub gravi ad perfectionem tendere? R. affirm. Quia tendere ad perfectionem est de essentia status religiosi, vel saltem ejus proprietates inseparabilis. Igitur hæc est obligatio gravis, imò, & principalis religiosi; ita ut, si deponeret animum ultra progrediendi, aut proficiendi in via perfectionis, esset in statu lethali. Ideo nunquam debet quiescere, aut sistere in hac via, nec dicere: *Satis est*, sed perpetuo ad altiora aspirare juxta vocationem sui instituti. Nam in via Dei non progredi, regredi est. Unde optime dicit D. Bernardus *Epist.* 254. *Nolle proficere, desistere est. Ubi ergo sunt, qui dicere solent: sufficit nobis, nolumus esse meliores quam patres nostri? O monache! Non vis proficere? Vis ergo desistere. Nequaquam. Quid ergo? Sic inquis vivere volo, & ma-*

nere in quo perveni; nec pejor fieri patior, nec melior cupio: hoc ergo vis, quod esse non potest.

23. Inq. 3. Quid agere debeat religiosus pro implenda obligatione tendendi ad perfectionem? R. Teneri diligenter observare non omnia consilia, sed illa ad quæ in sua professione se obstrinxit juxta regulam, & constitutiones propriæ religionis. Unde si in istis deficiat, aut ea non observet, licet alia magna, aut etiam miracula faciat, suspecta est ejus virtus, quia deficit in principali obligatione. Itaque perfectio religiosi non consistit in magnis poenitentis, jejuniis inusitatis, vigiliis extraordinariis, aut aliis rebus similibus, licet laudabile sit hæc fieri, sed in ordinariis exercitiis bene peractis, atque in accurata observantia suæ professionis.

24. Inq. 4. In quo consistat aliquos religiosos parum, aut nihil proficere in perfectione? R. Id provenire ex triplici radice. *Prima*, & principalis est deficiente paulatim a primavo fervore; si enim currerent sicut a principio, pervenirent ad apicem perfectionis. *Secunda*, non mortificare suas concupiscentias, seu passiones; nam si quolibet anno vinceremus unum vitium, cito essemus perfecti. *Tertia* est facere negligenter, & velut solum ex consuetudine opera quotidiana a religione statuta, si enim hæc serventur, & ex affectu amoris Dei fierent, ipsa religiosum in culmine perfectionis collocarent. Renovet igitur religiosus primævum fervorem, & quotidie denuo incipiat se ipsum interrogando: *Ad quid venisti ad religionem? Ad quid mundo renuntiasti? Ad quid domum Dei ingressus es? Dic igitur: nunc cæpi, & incipe denuo, ac prima opera fac. Sed bene, & in dies melius: perfectio enim plus in adverbis, quam in verbis consistit.*

25. Inq. 5. An religiosus habens animum servandi omnia obligantia sub gravi, non curando de cæteris, passim violando alias regulas, & constitutiones, ad quas non tenetur sub mortali, peccet graviter? R. affirm. Quia religiosus ex vi sui status tenetur sub gravi tendere ad perfectionem; sed impossibile est ad eam tendere, non curando de regulis, & constitutionibus suæ religionis observandis, ergo vera est resolutio. Imo adeo vera mihi apparet, ut ignorem, quomodo op-

posi-

posita valeat sustineri; perfectio enim religiosi non stat præcise in observantia trium votorum, & præceptorum, sed etiam in complexu regulæ, & constitutionum, sine quorum observantia nulla est perfectio religiosa; imò nec possunt observari vota. Dicunt aliqui religiosum solum ad vota, & præcepta formalia teneri sub gravi ex vi suæ professionis, ad regulam autem, & constitutiones tantum obligari ad summum sub veniali: igitur earum transgressio non est gravis, nisi ex contemptu, & sic docere, ajunt, D. Thom. 2. 2. q. 186. a. 9.

26. Sed revera D. Thom. potius docet ibi oppositum; dicens enim regulam sui Ordinis solum ad poenam obligare fratres, addit posse illos transgressione *venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, libidine, vel contemptu*. Ait utique sæpe Angelicus, quod transgressio regulæ ex suo genere solum ex contemptu est gravis, ut doceat, quod qualibet transgressio, esto sit levis, & unica, posita contemptu, fit gravis. At nullibi dicit, quod transgressio regulæ, & constitutionum diuturna, & deliberato animo posita, solum ex contemptu est gravis. Oportet distinguere inter transgressiones regulæ ex fragilitate, & transgressiones ex consuetudine, electione, ac proposito admissas. *Prima* graves non sunt; *secundæ* vero sub gravi a religioso vitari debent; opponuntur enim animo sincero tendendi ad perfectionem. Quomodo quit tendi ad perfectionem non curando de perfectione? Quomodo quit curari de perfectione non curando de ejus impedimentis vitandis? Quod autem majus impedimentum perfectionis, quam violatio deliberata, & obfirmata propriæ regulæ, et constitutionum? Prælati tenentur sub gravi corrigere prudenter sedulas subditorum fractiones, esto leves, regulæ, & constitutionum; ob eorum enim silentium, omissionem, & desidiam serpit libertas subditorum, & relatio religionum.

27. Inq. 6. An peccet graviter religiosus per propositum committendi quæcumque venialia? Miror calamos religiosos de hoc dubitasse, cum in omnium sententia status religiosus sit schola perfectionis, & ad eam tendere saltem inseparabilis proprietates illius. Igitur satis cons-

tat ex dictis resolutio affirmativa. Nisi velis credere aliquid, peccatis venialibus deliberatis undequaque onustum, ad perfectionem tendere posse. Ego vero credo, non modo religiosum, sed etiam sæcularem, qui habet propositum committendi quæcumque venialia, peccare mortaliter ob periculum proximum labendi in mortaliam, cui ex professo se exponit. Aliud est incidere in peccata venialia, aliud ex animo, & proposito committere illa. Animus igitur committendi quæcumque venialia maxime in religioso est sine dubio peccatum grave, oppositum ex diametro obligationi tendendi ad perfectionem.

PUNCTUM V.

De novitiatu.

28. Inq. 1. Quid sit novitiatus? R. Est dispositio ad professionem legitime emittendam. Professio enim sine novitiatu nulla est ex jure communi. Octo requiruntur conditiones ad novitiatum. 1. Quod libere, & sponte assumatur; peccat enim graviter cogens aliquem ingredi religionem, vi, metu, aut dolo. Validus tamen est novitiatus sic peractus, quia solum professio ex metu, aut dolo emissa annullatur a jure. 2. Quod sit immunis a simonia; licet enim validus sit etiam talis novitiatus, verum admittens simoniæ ad habitum incurrit excommunicationem Pontifici reservatam. 3. Condicio est ætas pubertatis completa; unde viri ante annos quatuordecim, & feminae ante duodecim completos nec licite, nec valide possunt admitti ad novitiatum ex jure communi. Ex jure vero peculiari religionum, cui quisque stare debet, major ætas præscribitur pro admissione. Possunt autem pueri, aut puellæ ante pubertatem admitti ex legitima licentia in monasteriis gratia educationis, nisi obstat jus peculiare religionis.

29. Quarta conditio est, quod admittatur ab habente potestatem juxta statuta religionis; alias nulla erit admissio. 5. Est susceptio habitus illius religionis; in qua vult quis profiteri; ita ut, si novitius exeat e monasterio animo non redempti, & dimittat habitum, etiam solum per unum diem, interruptur novitiatus, & de-

debet denuo inchoari. 6. Conditio pro Italia, & insulis adjacentibus est, quod novitiatus peragatur in domo determinata; extra prædictas autem ditiones, quod fiat intra religionem, in qua habitus sumitur. At si novitius ex legitima causa, & licentia extra conventum degat per aliquot dies, aut menses, valet novitiatus, quia vere est sub obedientia Prælatorum. 7. Quod peragatur novitiatus per integrum annum continuum de momento ad momentum; ita ut, si solum deficiat etiam una hora, vel dimidia, non valeat professio, quin compleatur annus materialis modo dicto. Ecclesia enim designat tempus integri anni probationis, ut novitius experiatur onera religionis, & eam deliberate amplectatur, vel deserat; ac pariter religio periculum faciat de ejus indole, vocatione, viribus, capacitate, aliisque qualitatibus pro matura ejus admissione, aut repulsa. 8. Conditio est, quod novitius careat impedimento, aut inhabilitate ad habitum suscipiendum jure naturæ, aut positivo.

30. Inq. 2. Qui sint inhabiles ad religionem jure naturæ, aut positivo? Quod sunt inhabiles impuberes, decrepiti, nimis debiles, & infirmi, furiosi, servi sine consensu domini, conjugati, consummato matrimonio sine licentia alterius conjugis, viri in monasterio foeminarum, & econtra; ita ut, si foemina professa in conventu monialium in virum erumperet, statim exire deberet, manente penitus nulla ejus professione. Item hermaphroditum ob manifesta pericula, & inconvenientia. Sunt etiam impediti ad usum religionem in altera professi. Item ad quamcumque ære alieno gravati, criminosi, homicidæ publici, & illi quorum parentes gravem patiuntur necessitatem. Idem postulat caritas, si patres, & maxime sorores indigeant auxilio fratris, aut sororis. Notati infamia, quia descendunt a Judæis, turcis, aut hæreticis, licet jure communi non sint inhabiles, ex peculiaribus tamen statutis religionum minime admitti valent ad habitum, ut apud nos prohibentur recipi usque ad quartum gradum, & ultra. Nec illegitimi admitti possunt sine licentia Generalis. Quilibet religio habet sua statuta, quæ omnino servanda sunt. Episcopi confirmati nequeunt ingredi religionem si-

ne licentia Papæ, quia voto solemniter Ecclesiæ sunt desponsati.

31. Inq. 3. Quando interrumpatur annus novitiatus, ita ut debeat denuo inchoari? R. Interrumpi, quando novitius, aut novitia exeunt sine animo redeundi, vel sine licentia extra pernoctant, aut morantur foras per unum diem, aut per aliquot juste expulsi; secus si injuste expellantur, & ipsi obtineant iterum admitti. Tunc enim non interrumpitur novitiatus, nec tenentur denuo inchoare. Nec quando expleto anno probationis differtur professio, & interim exeat animo redeundi; nec quando ex infirmitate, aut alia causa degit cum licentia legitima extra Conventum per aliquod tempus; nec si delato fiat chorista, aut econtra in eadem religione. Si autem ad aliam etiam strictiorem, vel in eadem de Caleatis ad Excalceatos, aut e converso transeat, debet annum novitiatus denuo peragere, ut probet, & probetur in illa.

32. Ex privilegio Pii V. novitius, aut novitia in ætate legitima valet emittere professionem, non expleto anno probationis in articulo mortis, lucraturque indulgentiam plenariam. Tunc autem si convalescat, non tenetur, juxta aliquos, supplere id, quod anno novitiatus defuit; quia jam emisit veram, & legitimam professionem, ita ut totaliter tradatur religioni, a qua recedere nequit, ergo frustranea est ulterior probatio. Alii autem oppositum tenent ex declaratione S. Congr. Unde suppleri debet tempus probationis, & eo expleto, iterum profiteri; nec enim professio anterior proficit, nisi tantum ad effectum spirituale pro vero articulo mortis, ad nullum vero temporalem dat jus professio illa, & hoc est tenendum.

33. Inq. 4. An peccet graviter Prælati non admittens ad habitum sine justa causa illum, qui alias nullum habet impedimentum? R. affirm. Quia injustitiam infert digno & religioni, privando eam digno filio, sicut ille, qui sine causa retrahit alium a religione. Idem est de quolibet suffragium denegante sine causa professionem digni. Secus est adstante justa causa denegandi, ut si plures petant; & nequeant omnes admitti; vel adsit jam numerus sufficiens; vel sit dubium de ejus aptitudine; quo in casu, si, inspectis om-

nibus, dubium perseverat, negandum est suffragium tam ad habitum, quam ad professionem, prior enim est religio; quam novitius, proindeque non huic, sed illi, favendum est in casu dubii. Sane hoc negotium est gravissimum, ideo Prælati, & vocales debent maturo consilio, deposito omni respectu humano, in eo procedere, non admittendo, quantum possibile sit, nisi vere habiles, idoneos, a Deo vocatos, & ex his solum illos, qui ex redditibus monasterii, vel ex consuetis elemosynis commode sustentari valeant, ut decrevit Trid. sess. 25. cap. 3. de regul.

34. Inq. 5. An expediat, quod religiosi sint plures, aut pauciores? R. Hoc vix posse decidi; ex malis enim nec unus expedit, nec oportet esse. Ex bonis autem melius esset Ecclesiæ Dei plures habere. Sed clamant: ad qui tot religiosi, ex quibus plus nocentibus, incommodi, & scandali, quam fructus, & commodi spiritualis sæpe experitur respública? Hujusmodi clamor provenit in primis ex eo, quod incommodum temporale videtur; commodum autem spirituale non videtur. Videt secularis aliquos regulares defectuosos, at non videt observantiam regularem, & exercitia quotidiana communicatum. Deinde quod commoda, quot disidia, quot adulteria, quot divortia, quot uxoricidia, & alia scandala in statu matrimonii passim experitur respública? Plena sunt tribunalia. At nemo ait, non tot admittendos esse ad matrimonium; esto multi ex conjugatis, & eorum filii, ob summam pauperiem, debeant ex elemosynis alium incommodo reipublicæ; status quippe matrimonii ex se bonus est, & unusquisque liber ad illum amplectendum; sed status religiosus ex se est bonus, & melior matrimonio, liberque cuilibet ad illum amplectendum: Igitur non est ratio tanti clamoris contra plurimum illum amplectendum, esto aliqui defectuosi inter eos reperiantur. Utinam in omni statu solum boni invenirentur! Sed hoc sub cælo non est moraliter possibile. Ut sint boni, necesse est moraliter, quod sint etiam mali. Si autem respública aliquid incommodum temporale, ortum ex paupertate evangelica regularium, patitur, attente consideret, quot subsidia spiritua-

lia a communitatibus religionis recipit, imo plura subsidia etiam temporalia suscipit oppidum. Ubi enim elemosynæ adeo frequentes, & continuæ fiunt, sicut ad fores cujuslibet monasterii? Nullibi sane. Monasteriis sublatis, plurimæ elemosynæ pauperibus deficient.

35. Inq. 6. An debeant fieri ante professionem informationes de natalibus, sanguinis puritate, vita, moribus, & aliis qualitatibus novitii? R. affirm. Constat ex decreto Sixti V. moderato circa quædam a Clem. VIII. debent autem confici saltem ante professionem, recepto ante admissionem juramento a novitio, se esse liberum ab impedimentis in Sixtina sanctione expressis. Unusquisque illas perficere debet juxta formulam a suis constitutionibus præscriptam, & tempore in suo ordine consueto. Melius est fieri ante receptionem, ne, si postea impedimentum reperitur, eum rubore cogatur recedere. Ita fiunt apud nos, & leguntur coram Priore, Magistro novitiorum, & alio ex dignioribus, qui fideliter denuntiat communitati in capitulo secreto, an sit, vel non aliquid impedimentum, prout disponunt postre constitutiones 2. par. cap. 2.

PUNCTUM VI.

De obligationibus, privilegiis, & remuneratione novitiorum.

36. Inq. 1. An novitius teneatur sub gravi perseverare in religione? R. neg. Quia, secluso voto, non adstringitur perseverare, sed probare statum, retenta libertate discedendi ab eo. Peccat tamen venialiter exiens a religione sine aliqua causa honesta. Imo exuentes sine causa in varia pericula, multaque infortunia sæpe se conjiciunt, aspicientes, & redeuntentes Sodomam, unde Deus eos misericorditer eduxerat. Quis quis igitur ad Dei donum e Babilone confugit, debet concipere firmum propositum nunquam ab illa discedendi, postulat humiliter a Deo donum perseverantia, dicat continuo. Cum David Psalm. 26. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vite mee.* Deinde se totum tradat in manus obedientia, nihil

nihil de se aliud cogitans, nisi, præterita mala plangendo, flagitare Dei misericordiam, gratias ei agens pro tanto beneficio, Ingressi sine animo perseverandi, & exiens sine causa, tenetur solvere expensas factas monasterio, nisi aliunde, obsequiis ibi præstitis, eas compensaverit. Idem est de ingrediente bona fide, & exeunte sine causa, si pactum præcessit, aliquid dandi pro victu, & vestitu; hoc enim exigit æquitas justitiæ. Secus est de ingrediente bona fide absque ullo pacto, qui ex justitia ad eas non tenetur, nam religio eas tunc libere facit. In monialibus autem semper præsumitur adesse pactum, esto expresse non fiat.

37. Inq. 3. Quibus privilegiis gaudeant novitii? R. Gaudere omnibus privilegiis communibus religiosorum, quia in favorabilibus reputantur religiosi. Unde gaudent privilegio canonis, & fori cum cæteris, quibus fruuntur religiosi. Possunt a Prælati absolvi a censuris, peccatis, irregularitatibus, ac dispensari in votis sicut religiosi. Taliter quod si bona fide fuerint ingressi, esto subinde discedant a religione, liberi maneat, nec indigeant de novo ab eis absolvi, aut in eis dispensari, quia non absolvuntur sub conditione perseverandi, sed simpliciter, & absolute.

40. Inq. 4. Cui debeant novitii confiteri? R. Debere regulariter confiteri cum suo Magistro, ejus socio, vel Confessariis a Prælo deputatis; hoc enim consonat decretis pontificiis, ac expedit, ut sic melius possint dirigi in via spirituali. Valent tamen absolute confiteri, etiam inscio Prælo, cum Confessario approbato ab Episcopo, sive sæculari, sive regulari, adhuc a reservatis in religione, qui non sunt reservati pro novitiis, nisi exprimantur, quod rarissime convenit. Valent pariter uti privilegio cruciatæ pro eligendo Confessario ab Episcopo approbato, quia non sunt in rigore religiosi, quibus id vetitum est. Eadem ratione possunt eligere sepulturam, licet religiosi interdicitur sit electio sepulturæ ex cap. finali, de religiosis in 6. At si non eligant sepulturam, in conventu, in quo obeunt, sunt sepeliendi, ut tenet communis consuetudo fundata in eo, quod novitius ex parte sua se tradidit religioni. Si juvenes non dum induti, sed ad experimentum per aliquot dies in habitu sæculari in novitiatu retenti, infirmentur, vel decedant, possunt recipere omnia sacramenta a religiosis ejusdem Conventus, & in eorum Ecclesia, in consulto Parocho, sepeliri, quia de proximo accingendus infavorabilibus habetur pro accincto justa leg. penult. ff. de milit. testam. Vid. Luc. Ferrar. verb. Novitiat. n. 17.

41. Inq. 5. Quomodo sit facienda novitii, res, resurgere humilitas, obedientia, corporis mortificatio, solitudo, silentium, paupertas, modestia, passionis Christi, & novissimorum meditatio, lectio spiritualis, & denique contemptus sæculi, sui ipsius, suæque commoditatis.

39. Inq. 3. Quibus privilegiis gaudeant novitii? R. Gaudere omnibus privilegiis communibus religiosorum, quia in favorabilibus reputantur religiosi. Unde gaudent privilegio canonis, & fori cum cæteris, quibus fruuntur religiosi. Possunt a Prælati absolvi a censuris, peccatis, irregularitatibus, ac dispensari in votis sicut religiosi. Taliter quod si bona fide fuerint ingressi, esto subinde discedant a religione, liberi maneat, nec indigeant de novo ab eis absolvi, aut in eis dispensari, quia non absolvuntur sub conditione perseverandi, sed simpliciter, & absolute.

40. Inq. 4. Cui debeant novitii confiteri? R. Debere regulariter confiteri cum suo Magistro, ejus socio, vel Confessariis a Prælo deputatis; hoc enim consonat decretis pontificiis, ac expedit, ut sic melius possint dirigi in via spirituali. Valent tamen absolute confiteri, etiam inscio Prælo, cum Confessario approbato ab Episcopo, sive sæculari, sive regulari, adhuc a reservatis in religione, qui non sunt reservati pro novitiis, nisi exprimantur, quod rarissime convenit. Valent pariter uti privilegio cruciatæ pro eligendo Confessario ab Episcopo approbato, quia non sunt in rigore religiosi, quibus id vetitum est. Eadem ratione possunt eligere sepulturam, licet religiosi interdicitur sit electio sepulturæ ex cap. finali, de religiosis in 6. At si non eligant sepulturam, in conventu, in quo obeunt, sunt sepeliendi, ut tenet communis consuetudo fundata in eo, quod novitius ex parte sua se tradidit religioni. Si juvenes non dum induti, sed ad experimentum per aliquot dies in habitu sæculari in novitiatu retenti, infirmentur, vel decedant, possunt recipere omnia sacramenta a religiosis ejusdem Conventus, & in eorum Ecclesia, in consulto Parocho, sepeliri, quia de proximo accingendus infavorabilibus habetur pro accincto justa leg. penult. ff. de milit. testam. Vid. Luc. Ferrar. verb. Novitiat. n. 17.

41. Inq. 5. Quomodo sit facienda novitii,

vi-

votio renuntiatio suorum bonorum? R. Quod nulla renuntiatio, aut obligatio bonorum facta a novitio est valida, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem, ait Trid. sess. 25. cap. 16. de regul. Unde quælibet renuntiatio, seu donatio liberalis facta a novitio est irrita, si careat dicta solemnitate, hoc est, nisi fiat prædicta licentia, & intra bimestre ante professionem, idest, completis decem mensibus novitiatu. In hoc autem bimestri quolibet die fieri valet, licet professio ex aliqua causa differatur. Non comprehendit hoc decretum donationes remuneratorias, nec contractus emptionis, & venditionis, nec alios, in quibus tantum recipitur, quantum datur, nec aliquas elemosynas exiguas, sed tantum donationes notabiles omnino liberales, & etiam quælibet renuntiationes beneficiorum. Nec comprehendit renunciaciones sine fraude, & dolo factas ante ingressum religionis, nec denique testamentum ante, vel post ingressum a novitio conditum cum solemnitate juris, nec donationes causa mortis, quia Concilium loquitur de renunciacione, aut donatione inter vivos, quæ irrevocabilis est, pro ut suo loco diximus, non de testamentis, aut donationibus, quæ ad nutum revocari valent.

42. Pro quo nota, dupliciter posse novitium de suis bonis ante professionem disponere, nempe per testamentum, aut donationem causa mortis; vel per renuntiationem liberalem, aut donationem inter vivos. Igitur de dispositione liberali, aut inter vivos loquitur decretum conciliare, non vero de dispositione testamentaria, aut causa mortis. Hæc enim quocumque tempore valida existit absque prædicta solemnitate Concilii, dummodo fiat cum solemnitate juris civilis, vel juxta leges respectiva ditionis, aut regni.

43. Inq. 6. Quis succedat novitio morienti ab intestato, & nulla facta renuntiatione? R. Non monasterium, sed hæredes ab intestato ei succedere, quia monasterium, esto capax successione hæreditaria, non succedit novitio, nisi media professione, ergo, hac deficiente, succedunt hæredes ab intestato. Verum bonis, quæ jure sanguinis adveniunt religioso jam professo, succedit religio capax succes-

sione hæreditaria, ut diximus tract. 18.

CAPUT II.

De professione religiosa.

PUNCTUM I.

Notio, & effectus professionis religiose.

44. Inq. 1. Quid sit professio religiosa? R. Est contractus, quo homo sponte se ipsum tradit Deo in religione approbata, emittendo tria vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis in manibus Prælati, nomine Dei en acceptantis. Duplex est professio, alia expressa, alia tacita, utraque eandem parit obligationem. Tacita est, quæ signis, aut actionibus inducitur; ut si novitius, completo anno probationis, & decimosexto ætatis, sponte, & scienter professorum actus exerceat, eorumque habitum deferat cum animo tacite profitendi, & Prælo consentiente, vel sic ordines sacros titulo paupertatis recipiat. Expressa est, quæ fit verbis coram Superiore, vel communitate juxta consuetudinem, & præscriptum cuiusque ordinis. Quoniam licet valida sit professio facta solo Superiore; debet tamen fieri coram communitate, vel saltem aliquibus, qui, dum opus fuerit, de illa testificari valeant. Ita fit apud nos, & scribitur in libro professionum cum subscriptione professi, Prælati, Magistri novitiorum, & aliorum duorum Sacerdotum, qui professioni assisterunt; ut præscribitur in nostris legibus 2. part. cap. 2.

45. Inq. 2. Quis gaudeat potestate admittendi ad professionem? R. In primis sum. Pontificem ea gaudere pro omni religione. Deinde jure communi competit hæc potestas Prælo immediato ex consensu sui Capituli, vel majoris partis illius. Quælibet religio consulat proprias leges. Apud nos Prior, vel Suprior in ejus absentia, vel alius de ejus commissione, præcedente consensu capituli, & licentia Provincialis, potest admittere novitios ad professionem. Licentia Provincialis non requiritur ad validum, sed ad licitum. Alii Prælati Superiores, ut Ge-